Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1643
Quelle:
Copyright:

XXI. *fol.* 258. *Sequitur sermo Magistri Stanislai de Znoyma sacre Theologie professoris contra quinque articulos Wyckleff condempnatos.* Sunt hi *Articuli* e XLV. numero 15. *Nullus est Dominus civilis* &c. 16. *Domini temporales possunt ad arbitrium* &c. 18. *Decimæ sunt meræ Eleemosynæ* &c. 33. *Sylvester Papa et Constantinus* &c. et 32. *Ditare Clerum est contra regulam Christi.* Initium Sermonis a prolixa invocatione Virg. Mariae: *Ave Maria virgo cunctas hereses sola interemisti* &c. Ad calcem: *Isti duo sermones sunt predicati ad clerum per duos doctores contra VII. Articulos Jo. wy. condempnatos quos Jo. Huss in scolis publice defendit et dogmatizauit.* Et Scriptoris παρεγγον: *Eya ecce Ihesu explicit totum, Infunde da michi potum, Istum potum puto de quo canimus Infunde vnccionem tuam deus clemens nostris sensibus.* Adparet ex toto hoc *Codice*, quantum pro Suggestu tam sacro, quam scholastico ventilatae sint in utramque partem adlatae ex Anglia Sententiae. Varia, quae continet, cognoscendae penitius toti Controversiae opportuna lucem nondum videre, quamvis non spernendas ad Historiam sive ecclesiasticam, sive literariam accessiones praestitura.

CCCCXXII.

522 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 275. 4. a diversis congestus ad Turbas *Hussiticas* in *Bohemia* pertinet. Occurrit in eo: I. *Proposicio facta in Curia Romana coram papa* (Joh. XXIII.) *contra Wiklefistas Anno domini M° CCCCXIII°. Mense decembri.* Initium: *Beatissime pater patrum Iustissime ac clementissime princeps. Cum quilibet Ortodoxus firmissime tenere debeat et nullatenus dubitare, omnem hereticum uel scismaticum cum dyabolo et angelis eius eterni ignis incendio participandum* &c. Memorantur deinceps introducti in Regnum *Bohemiae* et Ecclesiam *Pragensem* per lectionem librorum *Wicleffi* errores, eorumque praecipui adseclae nominantur *Joh. Hus*, *Joh. Jessenicz*, *Sdislaus de Wartenberg*, *Jac. de Miza*, *Procop. de Plzna* et *Marcus de Grecz Regine. Sbinconem* Archiep. autoritate *Alexandri* V. in praedictos Libros inquisivisse, eosque exussisse; *Hussum* cum suis contra Archiepiscopum ad Sedem Apostolicam adpellasse, et ut immorigerum a Card. *Oddone Columpna* subjectum excommunicationi, *in qua per annum cum dimidio insorduit, prout etiam insordescit* &c. Itaque petitur, ut Homines hi autoritate Sedis Apostolicae Haeretici declarentur, potestati Seculari beneficiis privati tradantur, loca, ad quae declinaverint, interdicto subjiciantur &c. Pontifices in hac caussa saepius interpellatos fuisse, referunt quidem Historici; a quo vero profecta sit praesens interpellatio, an a Capitulo Metropolit. an a Parte Academiae, aliisve,